



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Oculus, Hoc Est: Fvndamentvm Opticvm**

**Scheiner, Christoph**

**Freiburg i. B., 1621**

Cap. XVIII. Document 5. Ex quo tunicae Retinae, humorumq[ue] Crystallini  
atque Vitrei motus adstruitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71258](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71258)



## DOCUMENTVM V.

## CAPVT XVIII.

**M**anifestus etiam hinc fit motus seu Retinae seu humoris Crystallini, atque Vitrei, siue omnium in anteriora & posteriora, 1. Quia quando quis vnā rem in statione remota obiecta lamina perforata multiplicatam videt, reiecta lamina videt simplicem, & minorem quidem quam multiplicatarum erat intercapedo; cum ergo ex præmissa experientia constet, concursum punctorum remotiorum in vitro conuexo esse longiorem quam sit centro propiorum, fatendum est, amota lamina nulla puncta Crystallini humoris amplius posse concurrere, sed iam concurrisse, adeoque in humorem Vitreum conuenisse, &c. cum igitur illum post laminam obiectam Retina assequatur, aut Crystallinus humor retrocessit, aut Retina porrò sese extendit. Confirmatur hoc ex eo, quod etiamsi post communem concursum, statuta charta perforata lamina à vitro conuexo amoueat, obiectum tamen multiplicatum, nunquam vnum fiat secundum magnitudinem simplicem, sed semper auctum & confusum maneat. Deinde quod oculus amota lamina eandē rem aliquamdiu geminatam videat, ut experiēti patebit, dum punctum nigrum chartæ albæ impressum aliquis aspiciet. &c. tandem tamen oculus sese colligit, & vnā intuetur, quod euidentis indicium est, protrusi vel retrusi humoris Crystallini. 2. Quia obiectum remotum breuem, proximum longiorem specierum concursum facit; ut proinde charta illic propius hinc longius à vitro conuexo sit tenenda; vnde necessarium est, eos qui tam procul quam prope sita oculis distinctè discernunt, (quod in solius concursus communis statione cum tunica Retina coincidentē fit) necessario eandem Retinam Crystallino humori modò adiungere, modò abiungere; motu quodam nō libero sed necessario, ab obiecti præsentia causato. Nam, ut sæpè iam dictum est, tunica Retina se habet ad humorem Crystallinum, sicut charta pura ad lentem conuexam, &

Humoris  
Crystalli-  
ni, & Vi-  
trei, nec  
nō tuni-  
cæ Re-  
tinæ mo-  
bilitas.

contra;



contra; quemadmodum ergo charta ad lentem admouenda est, si obiecta transparentia procul absunt, ut picturam mundam recipiat; remouenda contra, cum obiecta prope adiunt: ita planè ut oculus longè distantia probè percipiat, Retina illorum pictura optimè debet imbui, quod non fit, nisi in baseos communis concursu, qui cum breuiore distantia perficiatur si obiecta remota sint, quam si notabiliter vicina; ut tunica Retina in locum seu stationem illius concursus deueniat; necesse est, vel Retinam ad CrySTALLINUM motu quodam locali accedere, vel humorem CrySTALLINUM ita complanari, ut Refractionis ope baseos communis meta, ulterius versus Retinam producat; & vice versa, in obiectis vicinis. 3. Quia illud ipsum interuallum quo punctum unum per plura foramina illa spum, unum apparet, tantum est, ut communis baseos latitudinem, quam humoris CrySTALLINI conuexitas etiam inuariata caussaret, excedere videatur. Est enim humor CrySTALLINUS valdè globosus & è duarum admodum paruarum sphaerarum segmentis compactus: experientia autem docet, eiusmodi lentes vitreas, communem basin velut in indiuisibili constituere; deinde lucem à candela per duo foramina in obiectam chartam immotam transfusam, uniformiter referre, vel vnam tantum, vel geminam tantum, qualis nimirum ab initio alluxerat, siue candela amoueat siue non; quæ in hoc casu locum puncti seu nigri seu lucidi obtinet; charta vero obiecta post vitrum, tunicæ Retinæ; vitrum humoris CrySTALLINI: cum ergo in oculo triplex iste aspectus vnus puncti secus eueniat quam in charta; id aliter rei adscribi non posse videtur, quam vel reciproco tunicæ Retinæ motui, vel CrySTALLINI humoris varix configurationi; vel denique utrisque, &c.

## DOCUMENTVM VI.

## CAPVT XIX.

**S**Tabiliuntur fortissimè hucusque dicta omnia de Tunica Retina, tanquam formali visus organo. Ex eo enim quod ipsi  
foli